QVÆSTIO

DE TESTAM: INTER LIBEROS.

Ad L. Hac Consultiß: §. Ex imperfecto.

C. De Testamentis.

Juncto c. Relatum. primo.

DE TESTAMENTIS ET VLTIMIS VOLVNTATIBVS.

V. Testamẽtum imperfectum factum, à Patre inter liberos, etiamsi liberi sint legitimati, dum imperfectio in Substantia Testamenti non sit, sustineri iure valeat; nec ne?

CONCLVSIO I.

Testamentum imperfectum factum à Patre inter liberos, iure sustinetur.

COROLLARIA.

1. *Qui succedunt ex Testamento imperfecto inter liberos, non succedunt ab intestato.*

2. *Testamentum inter liberos imperfectum, clausulam codicillarem vel vim eius continet.*

3. *Quæ solennitates aliàs in Testamento perfecto requiruntur, & quæ qualitates eius vetitæ; eæ in imperfecto nec requiruntur, nec, si vetitæ adhibeantur, illud vitiant. quò innumerabilia Testamentorum referri possunt.*

4. *Pater non potest per ciphras Testamentum inter liberos condere, potissimùm si ciphræ sint in verbis dispositiuis, & adscriptione sortium.*

5. *Nedùm in scriptis, sed etiam nuncupatiuè, nec tantùm nuncupatiuè, sed etiam nutibus, si testator*

ſtator ſit Mutus, Teſtamentum inter liberos validè fit; In ſcriptis verò quacunq; ſcheda ſcripta vel ſubſcripta à Teſtatore ſufficit, dùm ea voluntas & factum eius conſtet.

CONCLVSIO II.

Teſtamentum imperfectum, vt fauore liberorum ſuſtinetur; ita liberorum perſonam non excedit.

COROLLARIA.

1. *Extraneus ſi in Teſtamento inter liberos adſcribatur, reſpectu eius Teſtamentum non ſubſiſtit; non vitiatur tamen per extranei ſcriptionem quoad liberos.*

2. *Liberorum nomine filios, filias, imo Nepotes, & alios deſcendentes contineri dubium non eſt.*

3. *An Pater, Mater à filio Teſtamento imperfecto inſtituti gaudeant priuilegijs inter liberos? Problema facio.*

4. Te-

4. *Testamentum imperfectum ad pias causas sustinetur fauore piæ causæ, alioq; Iure quàm ex dispositione L. Nostræ.*

5. *Legitimati succedunt ex imperfecto Patri, Naturales Matri; cæteros legibus magis atq; magis improbatos & notatos, reijcio.*

CONCLVSIO III.

Si defectus sit in Testamento essentialis, non subsistit illud factum inter liberos.

COROLLARIA.

1. *Defectus voluntatis in Testatore, extra omne dubium, Testamentum imperfectum inter liberos inualidum facit.*

2. *Si Pater animo testandi inter liberos inchoârit Testamentum, nec perfecerit; quia scilicet non ordinauit de aliqua portione bonorum, alioué legato, Testamentum ita imperfectum non sustineri arbitramur.*

3. *Vo-*

3. *Voluntas patris quamuis benè contineri valeat Testamento minùs solenni; si tamen in dubium vocetur, probari debet instrumento solenni.*

4. *Si pater filium existentem in potestate sua nec hæredem instituerit nec exhæredauerit, Testamentum inter liberos non subsistit.*

5. *Posse tamen Patrem Testamento inter liberos minùs vni, plus alteri filio dare: dummodo id titulo institutionis fiat, & in terminis Iuris, extra omnem difficultatem, credimus.*

Laus Deo, Virginiq; Matri.